

miserit deus. Hoc ergo subiectum agens praecipuum, cum nulla repugnet circumstantia contextus, etiam in hoc commate 4. 5. 6. est admittendum, ergo subiectum renouans, s. renouationi occasionem praebens, est Paullus una cum Ebraeis suis, in primis vere fidelibus: Hocce subiectum pro ratione contextus optime exprimi potest per pronomen primae personae pluralis numeri ἡμεῖς, per hoc ergo oratio est explenda, quo facto, ita se habet: ἀδύνατον γὰρ ἡμᾶς ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν τοὺς ἅπασι φωτισθέντας κ. τ. λ. fieri enim non potest, vt nos renouemus eos, qui semel fuerunt illuminati etc. Non ergo audiendus est ERASMVS, qui in adnotationibus suis hic supplendum esse se putat pronomen reciprocum ἑαυτῶν, quam interpretationem suo adprobat calculo PAREVS ad h. l. nec non VATABLVS, at uero eam Pelagianismum subolere recte censet B. SEB. SCHMIDIUS ad h. l.

§. VI.

Jam ad uocabulum ἀδύνατον quod attinet, est illud neutrum genus adiectiui ὁ κ. ἡ ἀδύνατος, quod est compositum ex α priuatiuo et ex δυνατός, potens, notat ergo proprie et formaliter impotentem, uiribus destitutum, uide sis Act. XIII. 8. Rom. XV. 1. et Clar. JO. CONR. SCHWARZIUM in Com. Gr. L. p. 20. Praeter hancce notionem formalem neutrum huius adiectiui genus, ἀδύνατον, apud scriptores graecos tam sacros N. T. quam profanos duplicem obtinet significationem, notat enim uel id, quod est difficile, uel id, quod fieri plane nequit, seu quod est prorsus impossibile respectu eius, cui quid ἀδύνατον esse dicitur. In priori notione adhibetur e. c. Mat. XV III, 26. ubi respondet τῶ δυσκόλως, difficulter v. 23. In posteriori significatione ubiuis, ubi in epistolis paul-
linis